



Adriano Diestro, Inventore. Delimitato.

Luigi Zotti, Incisor. Firenze.

HENRICI NORISII  
VERONENSIS AUGUSTINIANI

TIT. S. AUGUSTINI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS  
ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARI

OPERA OMNIA

*Nunc primum collecta atque ordinata*

TOMUS PRIMUS  
CONTINENS SACRA

*Quorum elenchum post monitum habes.*



VERONÆ MDCCXXIX

EX TYPOGRAPHIA TUMERMANIANA

*SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI*

*SENATUS AD ANNOS XV.*





CO. GOMBERTO IUSTO  
E T  
BARTHOLOMÆO  
SPARAVERIO  
DUUMVIRIS ET NOBILIUM CONSILIO  
URBIS VERONÆ

Io. Albertus Tumermanus.



*Ogitanti mihi, quærentique aliquem, qui pro suo singulari in Henricum Norisium studio, huius opera, quæ in unum corpus collecta sum editurus, non equo solum animo, verum etiam libentissimo in patrocinium reciperet, in mentem statim occurrat hic Veronensis Senatus, qui tantas ei civi adhuc viventi benevolentia ac existimationis significationes dedit, tamque iucundam eius iam mortui memoriam tenet & colit, ut nihil sit*



# HISTORIÆ PELAGIANÆ

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I.

*Origenes Pelagianæ Sectæ Princeps.*



**P**elagianæ hæreseos A primordia quidam alius deducentes, parem eandem orbis natalibus dixerunt; non ut illi quidem ex originis antiquitate, ut in urbium ac regnorum initiis a præclaris quibusque scriptoribus fieri mos est, aliquod nobilitatis pondus adijcerent, sed ut execrabilis sectæ iam inde ab orbe condito humano generi insidiatæ, infamiam posteritati propagarent. Angelorum rebellantium ac primorum hominum facinus reculant; cum utriusque divinæ providentiæ auxiliis exclusis, propriorum bonorum auctores sibi & esse & dici, detestanda superbia voluere. Hunc quidem errorem vix nato homini malis dæmonis artibus instillarum, philosophorum celeberrimi, quos Stoicos dixere, acutissimis disputationibus promoverunt; dum ceteris Numinū votis remissis, uni virtuti per nos nobismet comparandæ sedulo insudandum esse docuere. Hinc nihil magis in eorum scholis decantatum, quam ad optima quæque capessenda hominem sibi sufficere, partamque ex virtute laudem nequa-

quam nos cum Deo partiri, qui in illius societatem nobiscum profecto venire non possit. Hæc quidem uti eleganter ita impie inculcat dialogista apud Tullium lib. 3. de Natura Deorum: *Atque hoc quidem, inquit, mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatisque vitæ a Diis se habere; virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit.* Uti vero Patres qui Pelagianam hæresim scriptis oppugnarunt, ex gratiarum actione, quas ob accepta animi bona Deo referimus, a Deo nobismet eadem collata ineluctabili argumento probarant; ita Stoicus ille alia prorsus via pergens: *Num quis, inquit, quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam? at quod dives, quod honoratus, quod incolumis: Iovemque Optim. Maxim. ab eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat.* Concinit huic alter eiusdem dogmatis professor Seneca, hæc ad Lucilium scribens epist. 20. *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis remotipso & ex te nascentibus bonis.* Itaque ceterorum bonorum vota Deo illi remittebant, ad parandas vero animi dotes unumquemque sibi sufficere dicebant,

A

bant,